



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 144. Genuenses ab hac concordia exclusi

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Secul. XV.  
A.C. 1454.

cordia agerent. Hanc ut eo certius procuraret, ultro citroque curfitabat, jam Venetos & Florentinos, jam Franciscum Sfortiam convenit, tandemque tanta verborum vi cunctos ad concordiam permovit, ut pacem inter se ad principium Aprilis stabilirent. Visum est omnibus res prodigio similis, quod Vir vitæ quidem integritate, ac prudentia probatus, obscuri tamen nominis, ignotus, omnique auxilio destitutus rem perficere potuisset, quam Pontifex ipse cum universo Senatu Apostolico frustra molitus esset.

§. CXLIV.

*Genuenses ab hac concordia exclusi.*

Igitur concordiae leges ita pactae fuere, ut ad praestitutam diem omnes convenirent, pacemque ratam haberent. Ei Alphonsus subscribere recusabat, eoquod, inquiebat ille, se inscio ac non sine Regiae auctoritatis contemptu facta esset. Missi sunt itaque ad eum Legati, quos inter Cardinalis S. Crucis a Nicolao Papa decretus tanta dexteritate ac prudentia rem egit, ut pax illa, paucis quibusdam in Regis honorem mutatis, cum illo quoque in annos viginti quinque confirmata fuerit. Omnes Italiae Principes in eam concordiae sententiam ivere, si Genuenses exceperis, qui ab hisce conventis exclusi fuere.

fuere. Enimvero Cardinalis S. Crucis, Sæcul. XV. A.C. 1454.  
 ceterique Legati nihil reliquum fecere, ut Alphonso ob oculos ponerent, Genuenses inter Italiæ Principes, qui mari pol-  
 lerent, non in postremis habendos, eor-  
 umque cum ceteris unionem ad bellum  
 in Turcas necessariam esse. His tamen  
 Rex difficilem se præbuit, eosque ad con-  
 cordiæ leges admittere recusavit, nisi cer-  
 tis subjacerent conditionibus, quæ tamen  
 tales erant, quales ipsi acceptare omni-  
 no renuerent. Petiit enim ab eis, ut a  
 quarundam navium, quæ ipsis interceptæ  
 fuerant, repetitione desisterent, &  
 ad eum deferrent promissam olim pelvim  
 auream, quam ab aliquot annis pendere  
 ex eo intermiserant, quod non eam Rex  
 privatim muneris instar, sed ut tributum  
 publice, suisque Aulicis præsentibus ac-  
 cipere vellet. Nec deerant adhuc alia,  
 quibus Rex permotus, pacem cum Ge-  
 nuensibus sancire noluit: Scilicet tam al-  
 te inhæserant Regis animo & captivi-  
 tas sua, & clades in Corsicana Insula ab  
 eis illata, ut nunquam ultra cessaret us-  
 que ad obitum terra marique eos ve-  
 xare, etiam postquam ii Regis Franco-  
 rum tutelæ sese commiserant.

§. CXLV.